



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 108. Cosmas Medicæus opera Pontificis Soanam reversus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

dicinum ad summum Pontificatus fasti-  
gium evexissent. Pariter Antonius  
Montis-Belli Marchio se sistere erat jus-  
sus, attamen sui fratri captivitatem  
edoctus fuga saluti suæ consuluit (\*).

Sæcul. XVI.  
A. C. 1560.

### §. CVIII.

#### *Cosmas Medicæus opera Pontificis Soanam reversus.*

Interea Pontifex Soanam, quam Nico-  
lao Ursino Petiliano Comiti eripue-  
rat, Cosmæ Medicæo restitui jussit; Ni-  
colaus enim aliunde ob violentiam, mo-  
rumque pravitatem infamis hanc ur-  
bem in nupero bello captam veluti an-  
tiquum patrimonium suum detinuerat:  
Cosmas vero eandem utpote Senensis  
ditionis partem, atque ex fœdere ini-  
to restitutioni obnoxiam repetebat, ea-  
que

(\*) Hæc rursus Continuator ad verbum  
ex proscripto suo Thuano transcripsit, imme-  
rito autem Pallavicinum quoque allegavit, ex  
quo tamen totam rei gestæ feriem discere  
potuisset, ac fateri debuisse, quod Pius IV.  
non ex vindictæ cupiditate, sed ex justo deli-  
cta plectendi studio nequidem Purpuratis pe-  
percerit. Leges benevole Lector Pallavi-  
cinum Hist. Conc. Trid. l. 14. c. 15. n. 5. ubi  
hujus severitatis cauñas comperies.

**Sæcul. XVI.** que de re per Alphonsum Tornabonum  
 A. C. 1560 cum Rege sœpius egerat, sed hoc tan-  
 tum responsum tulerat, quod non inique  
 latus sit Rex, si Soanam quoque mo-  
 do recuperaret: de cetero autem ipse  
 sese huic negotio ingerere haud vellet:  
 itaque Cosmas his verbis impetrata ve-  
 luti a Rege licentia adversus Petilia-  
 num Comitem agere cœperat, corru-  
 ptoque ipsius Filio Alexandro de pro-  
 denda arce cum eo consilium iniit:  
 verum detecta perfidia, captoque Ale-  
 xandro Angelus Fraschinus hujus con-  
 filii Auctor in patibulum agebatur: igitur  
 Cosmas, cum sua molimina haud  
 successisse doleret, rem vi aggreditur, &  
 Chappino Vitellio imperat, ut sex pe-  
 ditum millibus Petilianum Comitem  
 obrueret, atque Alexandrum e carcere  
 liberaret: Ergo mox belli tormenta ex  
 urbe Politiana abducuntur, frementibus  
 licet Ferdinandi, Regisque Legatis,  
 qui una omnes, cum eorum opem Pe-  
 tilianus, cuius ditio ad Imperium per-  
 tinebat, & sub Gallorum patrocinio e-  
 rat, implorabat, apud summum Ponti-  
 ficiem instabant, ut interposita sua au-  
 toritate Soanam obsidionem solvi ju-  
 beret, alioquin minitabantur, quod a  
 fœdere discederetur, illudque violatum  
 crederetur: Itaque Papa mox Gabrie-  
 lem Serbellonium eo ablegat, qui arbitri

tri partes sustinens Soanam sibi a Co- Sæc. XVI.  
mite Petiliano traditam protinus non A.C. 1560.  
auditis alterius partis rationibus Cos-  
mæ Medicæo restituit.

## §. CIX.

*Cosmas Medicæus Romam profectus.*

Igitur Cosmas recuperata hac urbe rur- Thuan. l.c.  
sus Pontificem urgebat, ut ad ex- Pall. c. 17.  
terna negotia animum adjiciens mariti- num. 3.  
mas urbes muniret, & Ilvam Insulam  
valido præsidio firmaret, hacque ratione  
Turcarum impetus, atque excursions  
prohiberet: insuper idem effictim ro-  
gabat, ut Papa tumultuum in Galliis,  
& Scotia ferventium rationem haberet,  
nec tot animarum ob Religionem pericli-  
tantium salutem negligeret: minus vero  
permitteret, ut Principes aliunde, quam  
a Sacra Romana Sede, mali remedium  
peterent, sibique Nationale Concilium  
convocandi autoritatem arrogarent,  
sub falso obtentu, quod Papa etiam  
vehementer sollicitatus Oecumenicam  
Synodum habere detrectaret. Enim-  
vero Pius IV. saepius asserebat, quod,  
antequam Concilium cogeret, cum Cos-  
ma agere, hacque de caussa ipfus Bo-  
noniam venire velit, atque in itinere  
cum hoc Principe ea de re, aliisque ad  
Italiæ securitatem, publicamque salu-  
tem spectantibus se collaturum pollice-

F f 2 batur: